





15.
53

COLLEGH FEUDALIS

DISPUTATIO VIII.

De

Modis feudum acquirendi,

Investitura & præscriptione,

Quam,

D. O. M. A.

In celeberrima VVitebergensium

Academia,

SUB PRAESIDIO

HELFRICI ULRICI HUNNII

Marpurgensis Hessi J. U. D.

Privati exercitij causâ proponit

HECTOR VVILHELMUS

à Gunterrodt/Hessus.

Ad diem 10. Julij horis 8 loco consuetis.



VVITEBERGÆ

Typis Laurentij Seuberlichij.

120

COLLEGIUM MEDICALE
DIEBOLDI

Modis faciendi
In celebratione Vitebergensi

In celebratione Vitebergensi

HEINRICH HUNNII

HEINRICH HUNNII

Typis Laurentij Sebasteij



DISPUTATIO FEUDALIS VIII.

De

Modis acquirendi feudum,

Investitura & præscriptione.

Thesis I.

Dictum est proximè de modis feudum
constituendi, videamus nunc *de modis*
quibus feudum constitutum acquiratur:
Illorum vero duo sunt, Investitura &
præscriptio *tit. 33. junct. tit. 26. §. si quis per tri-*
ginta lib. 2. F.

II. Quanquam nec præscriptio aliam ob causam sic modus feudum acquirendi, quàm quia est quædam præsumpta investitura *Vult. de feud. lib. 1. cap. 9. n. 4. Rittershus. in part. feud. lib. 1. cap. 8. q. 1. in fine Niell. disputat. feud. 4. th. ult. 27. 28. 31.*

III. Ut ita accuratè loquendo unicus duntaxat modus sit per quem feudum acquiratur, Investitura. *Rittershus. in part. feud. lib. 1. cap. 8. q. 1. Sneide. vvin. in Epitom. feud. part. 4. n. 2.*

IV. Id quod etiam Feudista sensisse ac voluisse videtur, dum sic scribit: Sciendum est feudū sine investitura nullo modo constitui posse, etiamsi domino jubente, quis alicujus rei nomine feudi

A 2 posses.

possessionem nanciscatur & teneat, *in tit. 25. lib. 2. F. Uves. in Epit. feud. cap. 8. n. 17.*

V. Investitura autem dicta est ab investiendo; eò quòd vasallus per eam possessione, tanquam veste induatur. *Vult. cap. 7. n. 5. Janus de Arcedura in concl. feud. cap. 3. concl. 3. n. 1. Sneidevvin. in d. part. 4. nu. 2.*

VI. Et definitur quod sit traditio & cessio feudi solennis, per quam dominium feudi vasallo acquiratur. *Vult. d. cap. 7. nu. 7. post Cuiac. in tit. 1. lib. 1. Feud.*

VII. Hinc igitur animadvertere licet, toto cœlo aberrare illos, qui investituram per contractum definiunt: cum contractus substantiam non in eo consistat, ut dominium acquirat; sed ut alterum nobis obstringat ad dandum aliquid vel faciendum. *l. 3. ff. de O. & Act. l. 20. C. de pact. Duaren. de feud. cap. 7. nu. 2. Diss. Bocer. in tract. de investit. feudi cap. 2. num. 34. & Niell. in disputat. feud. 4. th. 2. lit. b.*

VIII. Est autem investitura duplex, nova & vetus, quarum hæc renovatio investituræ appellari consuevit. *tit. 32. lib. 2. feud.*

IX. Novam investituram definit Ictus, quòd sit ea, per quam primò feudum aliquod acquiritur. *d. tit. 32. vers. Novam.*

X. Huius investituræ solennitates, in quibus
forma

forma ejus substantialis consistit, sunt hæ: Ut primo investiens in re præsentis constitutus, aut verò extra illud, tradito signo quodam loco rei, dicat investiendo: Ego te investio de hoc prædio, ut illud in feudum habeas. *arg. tit. 2. in pr. lib. 2. F. Duaren. in comm. feud. cap. 7. n. 2. Bocer. de investit. feudi cap. 4. n. 3. Wesenbec. in tract. feud. c. 8. n. 8.*

XI. Altera investituræ solennitas consistit in testatione seu testificatione solenni, quæ fit aut testibus aut instrumento *tit. 4. lib. 1. F. Bocer. in d. tractat. cap. 4. num. 49. § 50.*

XII. Non igitur ad solennitatem investituræ ejusq; probationem præcisè testes requiruntur; si tamen adhibentur, non alij adhiberi possunt, quàm quos ad hoc maximè idoneos adhiberi jubent mores & consuetudines feudorum. *Bo. enr. d. cap. 4. n. 51. Diss. Wesenbec. cap. 8. num. 14. Vult. d. c. 7. n. 22.*

XIII. Idonei autem moribus istis reputantur primò homines liberi, non servi; cùm hi juris civilis nullam communionem habeant: investituræ verò actus sit civilis. *tit. 58. §. 1. versic. alioqui lib. 2. F. l. 32. ff. de R. Jur. Bocer. d. c. 4. nu. 51.*

XIV. Secundò Masculi, non Fœminæ *d. tit. 32. in fine lib. 2. F.*

A 3

XV.

XV. Tertiò pares curtis sive curiæ, hoc est va-
salli ejusdem Domini in eodem territorio feuda
possidentes, & non extranei; Adcò ut si nò pares
sed extranei ad investituræ actum fuerint adhi-
biti, investitura non valeat *tit. 2. §. 1. tit. 3. tit. 4. §.*
1. & §. item vasallus. & §. si quis. tit. 10. in pr. lib. 1.
F. tit. 32. & 33. lib. 2. F. Bocer. d. num. 51. & seqq.
Uult. in d. c. 7. n. 24. U Vesenbec. cap. 8. num. 13.
Duaren. c. 7. num. 3. Sneidevvin. parte 4. num. 12.
& seq.

XVI. Atq; in hoc tantum verum est, ut quam-
vis Dominus ultrò fateatur investituram à se fa-
ctam, nihilo tamen minus, si pares adhibiti non
fuerint testes, pro infecta habeatur investitura *per*
tit. 32. lib. 2. Feud. Bocer. d. c. 4. n. 53. Diss. Sneidvvin.
d. part. 4. n. 27.

XVII. Et hoc quo minus obtineat, cum adsuut
pares curiæ, dubium non est: At quid si tempore
faciendæ investituræ absint? Non statim extranei
adhiberi debent, *tit. 33. vers. nec dicatur. lib. 2. F.*
Uult. d. c. 7. n. 27. Sonsbec. part. 9. n. 15. Sneidevvin.
part. 4. nu. 14. U Vesenb. cap. 8. n. 13. Ruding. lib. 1.
var. lect. feud. ca. 49.

XVIII. Sed citandi erunt absentes & aliquo
tempore, arbitrio judicis definiendo expectandi,
Sonsbec. d. part. 9. num. 17. Bocer. cap. 4. num. 57.
Alva-

Alvarottus ad d. tit. 33. §. quod autem, n. 3. lib. 2. Feud.

XIX. Qui si ad citationem non comparuerint, cogendi erunt mulctæ dictione, pœnaliq; iudicio, *Schenck. Baro ad tit. 2. in pr. lib. 2. F. Vult. c. 7. n. 27. Diss. Bocer. d. cap. 4. n. 59. Sneidev. part. 4. num. 15.*

XX. Quod si Dominus nullos habuerit pares curiæ, aut habuerit quidem, sed minus idoneos ad testimonium dicendum, tum demum in defectũ illorum extraneos fide dignos adhibere poterit, *tit. 2. §. si autem investitura. tit. 33. §. quod autem investitura. tit. 33. §. quod autem dictum tit. 58. §. quod autem lib. 2. F. Bocer de investitura cap. 4. n. 59. § 65. Vult. d. c. 7. n. 27. in fine. Sneidev. in. in Epitom. feud. par. 4. n. 15. § seqq. Sonsbec. part. 9. num. 16.*

XXI. Quod si errore quodam adhibiti fuerint extranei, qui tamen tempore investituræ omnium opinione pro paribus curiæ habiti fuerint, putat *Bocerus* investituram sustineri; sed contraria sententia nobis verior videtur *arg. tit. 2. §. 1. tit. 3. tit. 4. lib. 1. F. § tit. 32. cum seq. lib. 2. F. Diss. Bocerus in d. cap. 4. num. 66.*

XXII.

XXII. Cæterum quæ hæcenus dicta sunt de paribus curiæ testibus in investitura adhibendis, existimant quidam secus sese habere in clericis novum feudum concedentibus, ut illi quosvis, tam pares curiæ, quàm extraneos adhibere possint. *U. Desenbec. de feud. cap. 8. n. 14. Sonsbec. part. 9. n. 19. Borcholt. cap. 7. n. 28.*

XXIII. Quod nos tamen sub hac distinctione admittimus, ut si clericus, puta prælatus de Ecclesiæ bonis alicui feudum constituat quosvis indifferenter possit adhibere testes: Sin verò in proprijs bonis, tum ut quivis laicus, non nisi pares curiæ *tit. 26. §. hæc omnia lib. 1. F. & tit. 32. in princip. lib. 2. Feud.*

XXIV. Cæterum quod ad numerum testium in investitura adhibendorum; putamus duos sufficere, quæ etiã sententiã communis est ac placet *Sneider. in d. part. 4. n. 12.*

XXV. Altera species testationis, quã in investitura diximus esse necessariam, est scriptura sive instrumentum, quod & breve testatum appellari solet. *tit. 3. §. 4. lib. 2. Feud. Bocer. d. cap. 4. num. 70.*

XXVI. Hanc æquè substantialem investituræ solennitatem esse atque testes, satis luculenter patet *ex d. tit. 3. §. 4. lib. 1. F. Bocer. d. c. 4. n. 70.*

num. 70. *Diss. Sneidev. part. 4. num. 20. & seqq.*
Ruding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 48. Vult. cap. 7.
n. 42. Wesenbec. de feud. c. 8. n. 31. & communis
FF. schola.

XXVII. Ad huius autem scripturæ seu instru-
menti confectionem adhibendi sunt testes, qui
illud manu sua subscribant *tit. 32. lib. 2. F.*

XXVIII. Et quidē pares curiæ, si quos habet
Dominus ad hoc negotium idoneos: Tametsi a-
pud Mediolanenses indifferenter, tam extranei
quàm pares curiæ adhiberi soleant *tit. 2. in pr. &*
d. tit. 32. §. 1. lib. 2. F. Bocer. d. cap. 4. n. 73. Vult ca. 7.
num. 42. Diss. Ian. de Arcedura in conclus. feud. cap.
3. conclus. 1.

XXIX. Præter has solennitates constituunt
vulgò investituræ solennitatem substantialem
& juramentum fidelitatis *Vult. lib. 1. de feud. cap.*
7. n. 30. Bocer. in d. tractat. de investit. feud. cap. 4.
n. 4. Sneidev. in Epitom. feud. part. 4. n. 17.

XXX. Cùm tamen non uno in loco juris feu-
dalis lectus apertis & manifestis verbis testetur in-
vestituram debere præcedere fidelitatem, & hanc
subsequi investituram *tit. 4. & tit. 7. in fine lib. 2.*
Feud.

XXXI. Ut ita juramentum non se habeat ad
investituram ut pars substantialis ad totū; sed ut
consequens ad suum antecedens, *d. tit. 4. & tit. 7.*

B

XXXII.

XXXII. Interim tamen ita necessarium est investituræ cōsequens juramentum, ut nisi specialiter fuerit investito remissum, non ei intelligatur facta investitura, si is fidelitatem facere recuset. *tit. 3. in fine lib. 2. F. Duaren. de feud. c. 7. n. 9. Ruding. d. lib. 1. var. lect. feud. cap. 43. Vult. d. cap. 7. n. 29.*

XXXIII. Adeò ut ne quidem in feudo franco, h. e. à servitiis libero, recusari possit *Bocer. d. cap. 4. num. 14. Diss. V. Vesenbec. de feud. cap. 8. num. 29.*

XXXIV. Ut nec in feudo modico. *Vult. d. cap. 7. n. 39. Bocer. d. cap. 4. n. 13.*

XXXV. Excipitur tamen impubes, qui nec per se nec per alium fidelitatem facere cogitur; donec ad majorem ætatem, quæ doli capax sit pervenerit. *tit. 26. §. si minori lib. 2. F.*

XXXVI. Ad cujus exemplum etiam furiosos & similes fati infelicitate à juramenti præstatione excusari ait *Vultejus in d. cap. 7. n. 37.*

XXXVII. Præstat autem hoc juramētum investitus ipse per se, vel per substitutum & procuratorem *arg. tit. 3. §. 1. tit. 58. §. item investitura lib. 2. Feud. Vult. cap. 7. n. 32. Bocer. d. cap. 4. num. 22. V. Vesenbec. cap. 8. n. 24.*

XXXVIII.

XXXVIII. Sive hic speciale ad hoc mandatū habuerit, sive procurator sit universorum bonorum cum libera. Hic enim cum feudum accipere possit, ut claris verbis testatur Ictus, quare non posset fidelitatis iuramentum investienti præstare. *arg. tit. 3. §. 1. lib. 2. F. junct. l. 2 ff. de iuris. dict. vide Vult. d. cap. 7. n. 33. & Zas. de feud. part. 7. n. 20.*

XXXIX. Jurare autē debet vasallus juxta formā & capita fidelitatis *in tit. 5. 6. & 7. lib. 2. F. comprehensa*, fidelitatem Domino suo adversus omnes homines, excepto imperatore vel rege *tit. 7. lib. 2. Feud.*

XL. Excepto etiam antiquiore Domino *tit. 28. in fine lib. 2. Feud.*

XLI. Sed num et parens exceptus intelligatur? Quæstio intricata est. Placet affirmantium sententia. *Cuiac. in d. tit. 28. Zasius in Epit. tom. feud. part. 7. n. 20. Diss. Vult. de feud. lib. 1. cap. 10. num. 33. Bocer. d. cap. 4. num. 38. Ianus de Arcedura in conclus. feudal. cap. 3. conclus. 6. num. 18.*

XLII. Externa & accidentalis investituræ forma est, quam ei feudum dans & accipiens
B 2 pactio-

paſſionibus dare ſolēt: ſiquidem paſſa negotiis
appoſita ſolent ea formare ac reformare novam-
que formam dare *l. 7. §. quinimo ff. de paſſ.*

XLIII. Modo paſſa honeſta ſint ac licita:
Nam quæ paſſa contra bonos mores, contra le-
ges Sctæ & conſtitutiones principum fiunt, il-
la nō ſe ſervaturum Prætor ait, *d. l. 7. §. ait prætor.*
ff. de paſſ.

XLIV. Quod ad qualitates verò inveſtituræ,
eſt alia inveſtitura pura, alia ſub die, & alia ſub
conditione facta: Nam & dies & conditio inve-
ſtituræ adijci poſſunt, *tit. 2. §. tit. 9. lib. 1. F. tit.*
35. lib. 2. F. Bocer. de inveſtitura feudi. c. 5. n. 1.

XLV. Pura eſt, qua vaſallus ſimpliciter in-
veſtitur à domino, nullâ vel die vel conditione
appoſitâ, *arg. tit. 2. §. 1. lib. 2. F. §. omnis I. de V. O.*
Bocer. d. cap. 5. n. 2.

XLVI. Effectus hujus inveſtituræ eſt, ut è ve-
ſtigio domniū utile in vaſallum hoc modo in-
veſtitum transferatur, eidem feudum conſeſtim
acquiratur *tit. 32. verſic. novam. lib. 2. Feud.*

XLVII. In diem fieri inveſtitura dicitur cum
per inveſtituram vaſallo conceditur feudum, vel
uſque ad certum tempus, vel ex certo tempore
Bocer. d. cap. 5. n. 6.

XLVIII. Hujus inveſtituræ effectus hic eſt, ut
ante

ante diem nec dominium utile nec possessio in
investitum transferatur; veniente vero die do-
miniū utile translatum censeatur, ad possessionē
vero tradendam agi demum possit. *arg. l. cedere*
diem 213. in pr. ff. de V. S. l. hereditas ex die 34.
ff. de hered. instit. Bocer. d. c. 5. n. 9.

XLIX. Denique sub conditione investitura
fit, quando vasallo feudum conceditur in futurū
aliquem eventum, cum quid factum fuerit, vel
non *arg. §. sub conditione & seq. I. de V. O. Bocer.*
d. cap. 5. n. 11.

L. Effectus conditionalis investituræ est, ut
antequam conditio existat feudum non habeat
vasallus, sed ejus dominium nanciscatur demū
post conditionem existentem. *d. §. ex conditio-*
nali I. de V. obli.

LI. Conditio autem quæ investituræ adijci-
tur, debet esse honesta, licita & possibilis, alioquin
investituram viciat, ut pro infecta habeatur. *arg.*
l. 31 ff. de O. & Act. l. 7 ff. de V. Obl. §. Impossibi-
lis institut. de inutil. stipulat.

LII. Hinc occasio sumitur disquirendi, vale-
atne investitura de feudo vasalli adhuc viventis
sub conditione mortis eius facta? Et communi-
ter placet valere investiturā, si modò tale sit feu-
dum, quod mortuo vasallo, feudi possessore ad

Necesse est, ut investitura de feudo vasalli, non sit sub conditione mortis eius facta, sed sub conditione, ut in vita sua feudum possideat. Et si mortuo vasallo, feudum ad heredem eius non perveniat, sed ad alium, non est investitura de feudo vasalli, sed de feudo domini. Et si mortuo vasallo, feudum ad alium perveniat, non est investitura de feudo vasalli, sed de feudo domini. Et si mortuo vasallo, feudum ad alium perveniat, non est investitura de feudo vasalli, sed de feudo domini.

B 3 *investituræ, dominium*

Ne referat investituram
in mortuis. Sappien. re.
in morte v. h. Feud.
per h. l. d. 2. f. 35.
2. f. 20. d. mori.

domini sit reversurum: Quæ sententia vera est
& confirmatur textu in tit. 3. § tit. 9. lib. 2. F. Bo-
cerus de investit. feud. cap. 5. num. 15. § seq. Zas.
part. 6. num. 22. Ruding. lib. 1. var. lect. feud. cap. 11.
Borcholt. cap. 7. num. 18. Diss. Schenk Baro in d. tit.
26. §. n. oribus lib. 2. Feud.

LIII. Quod si tamen vasallus ille sub cuius
mortis conditione alius investitus est, liber os post
investituram alij factam susceperit, dubium nul-
lum est, quin investitura evanescat, deficiente sci-
licet conditione, sub qua facta erat, arg. l. 8. ff. de
peric. § commod. rei vendit. Bocer. d. cap. 5. num.
19.

LIV. Nisi liberi vivo adhuc parente suo è vi-
vis decesserint: siquidem remotis liberis istis cō-
ditio investituræ existere potest, Vult. d. cap. 7. n.
49.

LV. Quin etsi feudi possessor vasallus successo-
res habeat feudi legitimos, tamen nihilominus
investitura alteri fieri potest sub conditione, si ille
sine liberis decesserit arg. tit. 35. §. ubi vero lib. 2. F.
Vult. cap. 7. n. 49.

LVI. Et tantum de investitura Nova. Vetus
investitura, quæ & renovatio investituræ dicitur,
est deficiente Feudista, quæ fit à Domino successo-
re, vel vasallo successori tit. 32. lib. 2. Feud.

LVII.

LVII. Etenim si mutatio aliqua vel in seniore vel vasallo incidat, ut aut senio- rem mori contingat, aut vasallum, semper necessaria est investitura renovatio ob rationes, quas assignant *Vult.* in d. c. 7. nu. 58. *Œ Rittershus.* in part. feud. cap. 9. quest. II.

LVIII. Petenda autem est hæc investitura renovatio à vasallo vel per semetipsum, vel per procuratorem *tit. 3. lib. 2. F. Borcholt. de feud. cap. 7. num. 25.*

LIX. Usq; adeò ut si intra tempus legitimum renovatio petita non fuerit, Nisi minorennis ætatis fuerit vasallus, feudum amittatur. *tit. 24. 40. Œ 55. lib. 2. Feud.*

LX. Tempus istud est annus & dies *d. tit. 24. 40. Œ 55. lib. 2. F. Wes. cap. 8. n. 6. Borcholt. cap. 7. num. 34.*

LXI. Quod currere incipit ab eo die quò primùm resciverit vasallus talem mutationem incidisse *Vult.* in d. cap. 7. n. 68. *Œ seq. Wesenbec. de feud. cap. 8. n. 6. Ruding. lib. 1. var. lect. feudal. cap. 7.*

LXII. Neque hic distinguendum putamus inter vasallum paganum & militem, cum textus *d. tit. 24. 40. Œ 55.* nihil omnino distinguant. *Vult.* d. cap. 7. n. 61. *Zas. in Epitom. feudal. part. 7. n. 1. Diss. Wes. cap. 8. n. 3. Sonsbec. part. II. n. 7. Borch. cap. 7. n. 32.*

LXIII.

LXIII. Hoc vetò tempus renovationi investituræ, in gratiam & favorem vasalli præfinitū ac determinatum, non potest Dominus feudi coarctare aut minuere; sed nec invito vasallo prorogare *Uult. d. cap. 7. n. 62, Borcholt cap. 7. num. 36.*

LXIV. Intra legitimum igitur & præfinitum tempus debet investiendus renovationem petere loco & tempore Domino oportuno, cum debita reverentia & honoris præfatione. *Uult. d. cap. 7. n. 100. Et seqq. Zas part. 7. nu. 13. Sneidev. part. 5. n. 57.*

LXV. Forma investituræ veteris, sive renovationis investituræ, interna nonnihil à prima seu investitura nova discrepat: Etsi enim & ipsa verbis solennibus fieri soleat; testibus tamen qualibuscunque etiam extraneis contenta est. *tit. 32. versic. de veteri lib. 2. Feud. Sneidev. part. 4. num. 15. Et 28. Sonsbec. part. 9. num. 27. Borcholt, cap. 7. num. 27.*

LXVI. Quoad verò externam formam, nulla est inter novam & veterem discrepantia. Cùm enim veteris feudi investitura sit confirmatio quædam & quasi redintegratio investituræ primitus de feudo factæ, par est ut eadē forma, eodemq; pacto & tenore fiat quo prima erat facta. *Uult.*

Vult. d. cap. 7. n. 59. Sueidevvin. part. 4. n. 32. &
seqq: Sonsbec. part. 9. n. 25.

LXVIII. Juramentum tamen fidelitatis etiam hanc ipsam investituram subsequi debet: In tantum ut etiam si vasallus primitus fidelitatem juravit pro se & heredibus suis, nihilominus, eo defuncto, legitimi ejus successores fidelitatem Domino jurare teneantur *Bocer. d. tractat. de investit. feud. cap. 4. n. 26.*

LXIX. Ad idemq; juramentum Senioris defuncti successoribus præstandum obstrictus teneatur vasallus, etiam si defuncto seniori ejusq; successoribus legitimis fidelitatem prius juravit. *Bocerus in d. tractat. de investit. feudi. cap. 4. n. 27. Diss. Rittershus. in partit. feud. lib. 1. cap. 9. q. 27.*

LXX. Quin et si plures sint prædefuncti vasalli successores, uti omnes atq; singuli investituram petere, ita quoq; juramentum fidelitatis præstare debent. *tit. 26. §. omnes. lib. 2. F. Wesemb. cap. 8. n. 9. & 22. Borcholt. de feudis c. 7. n. 33. Vult. d. cap. 7. n. 91 & seqq. Iohan. Rüdinger. lib. 1. var. lect. feud. cap. 56. Rittershus. in partit. feud. cap. 9. q. 25.*

LXXI. Singulis tamen Domini successoribus vasallus ad fidelitatem jurandam obstrictus non est; sed sufficit uni omnium nomine juratum esse: Ei videlicet, quem heredes domini, de hoc à valallo prius requisiti, elegerint; aut his circa electionem dissentientibus, quem ipse

C

elege,

elegerit vasallus. *Vult. d. cap. 7. n. 49. Rüd. lib. 1. cap. 57 Dissen-*
tit. Borcholt. cap. 7. part. 1. n. 35. Sonsbec. part. 11. n. 16. VVesembec. de feud.
cap. 2. n. 22. & 26.

LXXII. Et tantum de investitura vera, tam veteri quam
nova; Quam utraq; rursus in propriam dividitur & abusi-
vam *tit. 2. lib. 2. Feud. Bocer. cap. 2. n. 76. VVesembec. cap. 8. n. 11. Sonsbec.*
part. 9. n. 2. Borcholt. cap. 7. n. 5. Dissent. Vult. d. cap. 7. n. 11. Niell. in d. spu-
rat. feud. 4 thes. 3. lit. F.

LXXIII. Propria dicitur illa, qua vasallus in rei feudalis posses-
sionem inducitur *d. tit. 2. junct. tit. 33. in pr. lib. 2. F. VVesemb. de feud.*
cap. 8. n. 11. Bocer. d. tractat. de investit. feud. cap. 2. n. 71.

LXXIV. Abusiva verò qua feudum absq; corporali possessionis
traditione vasallo solemniter ceditur, tradito signo aliquo lo-
co ipsius rei *d. tit. 2. in pr. & tit. 33. in pr. lib. 2. F.*

LXXV. Tam a. hæc, quam illa est modus feudum acquirendi
arg. tit. 25. lib. 1. F. tit. 1. in fine. tit. 11. in pr. & tit. 33. in pr. lib. 2. F. Duaren.
de feud. cap. 7. n. 6. Diss. Bocer. d. cap. 2. n. 77. Rüd. lib. 1. var lect. feud.
cap. 9. n. 6. & seqq: Janus de Arcedura in conclus. feud. cap. 3. conclus. 4. n. 6.

LXXVI. Quamvis ex abusiva investitus possessionem non
adipiscatur, in quam tamen vacuam cogitur Dominus eum
mittere, ita ut non liberetur præstatione ejus quod interest, ju-
xta *tit. 3. §. fin. & tit. 26. §. si facta lib. 2. Feud. Sneidevvin. part. 4. n. 11.*
Duareu. c. 7. n. 6. & 7. Sonsbec. part. 9. n. 22. & 31. Borcholt. d. cap. 7. n.
8.

LXXVII. Quin & propria autoritate eam vacuam ingredi
potest, ut communior & verior habet opinio. *arg. capit. ex-*
literis extra de consuetud. Sneidevvin. in Epit. feud. part. 4. n. 11. VVe-
sembec. cap. 8. n. 15. Rüd. lib. 1. var. lect. feud. cap. 9. n. 2. & seqq: Sonsbec.
part. 9. n. 30. Borcholt. cap. 8. n. 10.

LXXVIII. Deniq; vera investitura est vel simultanea vel non
simultanea, sive singularis *tit. 1. §. 2. vers. quod etsi communiter. tit.*
3. §. ult. tit. 12. in pr. & tit. 18. lib. 2. Feud. Bocer. d. cap. 2. n. 84.

LXXIX. Illa dicitur quæ simul duobus vel pluribus vasallis
facta est, sive qua plures simul comprehenduntur. *Rittershus. in*
part. feud. lib. 1. cap. 9. quest. ult. Bocer. d. cap. 2. n. 85.

LXXX. Atq; hujus investituræ effectus potissimum conspi-
citur in successione, circa quam quæritur utrum simultanea
in

investiturâ facta & vasallo feudi possessore defuncto, successio in capita vel in stirpes fiat?

LXXXI. Distinguendum putat Bocerus, ut si quidem inter illos qui cum defuncto simultaneè sunt investiti hæc agitur quæstio, tum omnibus personaliter nominatis successio fiat in capita. *arg. l. Nonnunquam 24. ff. ad Sc. Trebell. l. 24. §. ult. l. 124. ff. de legat. 1.*

LXXXII. Sin verò plures cum feudi possessore simultaneè nomine colectivo aut appellativo sint investiti, successio horum fiat in stirpes. *arg. l. 7. ff. de us. fruct. accresc. l. p'ane 34. in princip. ff. de legat. 1.*

LXXXIII. Quod si verò cum simultaneè investitis concurrant quotundam simul investitorum liberi succedatur in stirpes, & non in capita *arg. §. cum filius. Instir. de heredit. qua ab intestat. defer. Nov. 118. cap. 3.*

LXXXIV. Den. q; si omnibus simultaneè investitis prædefunctis illorum saltem liberi concurrant, successio in capita fiet & non in stirpes. *Nov. 118. c. 3. versic. sed & ipsis. Bocer d. cap. 2. n. 92. & seqq.*

LXXXV. Investitura præsumpta resultat ex præscriptione longissimi temporis: Si quis enim, ait Feudista, per triginta annos rem aliquam ut feudum possederit, & servitium Domino exhibuerit: Quamvis de ea re non sit investitus, præscriptione tamen triginta annorum se tueri potest. *tit. 26. §. si quis per triginta. lib. 2. Feud.*

LXXXVI. Ad hanc igitur præscriptionem feudalem præter continuam possessionem, bonam fidem & justum titulum tria desiderantur: 1. possessio 30. annorum 2. Ut res possessa sit tanquam feudum 3. Ut possessor à Domino requisitus servitia ei feudalia præstiterit. *Vult de feud. cap. 9. n. 4 & seqq. Sneideruin. in Epitom. feud. part. 4. n. 51. Duaren. de feud. cap. 8. n. 2. lan. ab Arcedura in conclus. feud. cap. 3. conclus. 7. Rittershus. in part. feud. lib. 1. cap. 18. quaest. 3.*

LXXXVII. An vero his concurrentibus tantoq; temporis spacio res etiam publica atq; Ecclesiastica præscribatur, controversiâ non caret? Affirmativa tamen nobis verior videtur. *arg. d. §. si quis per triginta junct. l. de precio ff. de publ. c. in rem act. Vult. in d. cap. 9. n. 8. Schenck Baro in d. §. si quis. Diss. Borcholt. cap. 7. tit. de præscripti-*

one.

one n. 8. Duaren d. cap. 8. n. 3 Rittershusf. in part feud. d. c. 18. q. 7. Zaf. part. 6. n. 31. Forner. de feud. cap. 1.

do. - 2. s. de u. lib. l. 6
de s. u. s.
Uam n. 2. non d. de u. s.
Uam n. 2. non d. de u. s.
de s. u. s.
de s. u. s.
de s. u. s.
de s. u. s.
de s. u. s.
de s. u. s.

LXXXVIII. Sed num & vicissim Dominus triginta annorum spacio adversus vafallum suum possit libertatem feudi præscribere, admodum est controversum? Affirmandum videtur, si per triginta años pro libera possederit nemine ab eo investituram postulante, Zafius d. part. 6. n. 33. Rittershusf. in part. feud. d. c. 18. quest. 9.

LXXXIX. Sic etiam si quis per annos triginta nomine alicujus fundi, qui revera liber erat, servitia receperit, is præscriptione longissimis temporis, fundi illius dominum sibi vafallum, & ad servitia feudalia præstanda obstrictum habet. Vult. d. c. 9. n. 16. Sneidevyn. in d. part. 4. n. 53. Borcholt. d. cap. 7. tit. de præscriptione n. 9. Zaf. part. 6. n. 32. Duaren d. cap. 8. n. 2.

XC. Vafallus tamen neq; rei ipsius feudalis Dominium directum præscribit, arg. l. 2. C. de præscript. 30. vel 40. annorum §. 4. Instit. per quas person. nob. acquir. l. 8. C. de Vusufructu. Rittershusf. in d. cap. 18. q. 10. Vult. d. cap. 9. n. 18.

XCI. Neq; à servitijs libertatem & immunitatem triginta annorum spacio sibi acquirit, ut bene docet Rittershusf. in d. cap. 18. quest. 12.



F I N I S

Wittenberg, Diss., 1587-1612

ULB Halle

3

002 392 011





SB

VD17

Retrokonv.,







Inches

Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



UDALIS
VIII.

quirendi,
riptione,

ergensium

DIO
I HUNNII
J. U. D.

Sa proponit

HELMUS
Hessus.

loco consuetis.

uberlichij.

15.
53

